



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 1. Prænota[n]da in hac mater.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

P A R S V.

De formulis absolutionum,
dispensationum, rehabilitatio-
num, & fructuum condona-
tionum.

§. I.

Prænotanda in his materiis.

1.

A Censuris, & reservatis absolvit, vel mandat absolvi Pœnitentes S. Pœnitentiaria, non solum occultis, sed etiam publicis, ita tamen ut casus occultos committat Confessariis simplicibus, publicos verò Ordinariis.

2. Dispensat vero, rehabilitat, & condonat in occultis tantum, & super his Brevia committuntur ut plurimum Confessariis, quandoque etiam Ordinariis locorum.

3. Casus publici, in quibus ad S. Pœnitentiarum recurritur sunt duo: Injunctio manuum violenta in Clericum, & duellum. Ab his, si Pœnitens absens sit datur facultas absolvendi Ordinario. Si accedat ad Urbem committitur facultas à Majori Pœnitentiarum alicui ex Pœnitentiariis minoribus trium Basilicarum

A qu

A quo absolutus mittitur ad ipsum Ordinarium.

4. Percussor Clerici ad Urbem accedere non valens, si casus sit occultus, remittitur ad Confessarium simplicem. In casibus publicis etiam, si Reus accedere non possit nec ad Urbem, nec ad Ordinarium, & sit in loco ubi non habeatur pro publicè excommunicato Breve dirigitur absque præjudicio ad Confessarium simplicem.

§. 2.

De absolutione ab injectione publica manuum violentarum in Clericum pro non valente accedere ad Urbem.

I. *Formula Literarum, quæ à S. Pœnitentiaria expediuntur pro eo, qui publicè manus violentas in Clericos injecit.*

Venerabili in Christo Patri Episcopo N. sive ejus Vicario in Spiritualibus Generali.

Leander Miseratione Divina Tit. SS. Nerei & Achillei S. R. E. Presb. Card. Colloredus salutem & sinceram in Domino charitatem. Pro parte N. N. Diœcesis N. Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs

R

in